

ad directionem in finem præexigitur voluntas finis. » Videatur ibidem solutione ad XII, XIII et XIV. D. Thomam sequuntur communiter ejus discipuli, et interpretes super hæc loca primæ partis.

VII. Fundamentum hujus deducitur, tum ab auctoritate, tum a ratione. Ex auctoritate, quia sic intellexerunt veteres, qui providentiam, et prudentiam definierunt per cognitionem, seu actum intellectus. Nam in primis ipse D. Thomas q. v de veritate affert ex Tullio, quod providentiam ponit partem prudentiæ in secundo veteris rhetoriæ (lib. II de inventione) et est pars prudentiæ completiva: aliæ enim duæ partes scilicet memoria, et intelligentia, non sunt nisi præparationes quædam ad prudentiæ actum; ipsam autem prudentiam Tullius ibidem definit, quod: « Est scientia bonarum et malarum rerum. » Et Aristoteles infra citandus, quod: « Est habitus cum veræ ratione activus, » et sic ad intellectum pertinet prudentia, et providentia. Similiter Boetius, lib. IV de consolat. inquit, quod: « Modus rerum, qui cum ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, providentia nominatur. » Et infra: « Providentia est ipsa divina ratio, in summo principe constituta. quæ omnia disponit. » Item S. Augustinus lib. LXXXIII, q. XXXI, ponit providentiam esse partem prudentiæ, et per illam videri aliquid ut futurum; actus autem videndi ad intellectum pertinet. Videri potest D. Thomas 2-2, q. XLVII, a. I et II, ubi ponit prudentiam esse in intellectu ut in subjecto, providentiam autem esse partem prudentiæ docet ibi quæstione XLVIII.

VIII. Loquendo autem specialiter de prædestinatione, pertinere illam ad vim cognoscitivam deducitur ex illo ad Rom. XI: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, ubi ly

præscivit est idem quod prædestinavit, sic explicante Augustino libro de bono perseverantiæ, c. XVIII, ubi inquit: « Nullus dubitare vel negare permittitur, ubi ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam quam præscivit, prædestinationem significare voluisse; præscivit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse factururus. Hoc est ergo prædestinavit: sine dubio enim præscivit si prædestinavit, sed prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse factururus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractores legimus Dei præscientiam, et agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere. » Ubi Augustinum in nullo alio ponit et explicat rationem prædestinationis, quam in eo quod pertinet ad cognitionem, scilicet in præscientia, dummodo sit de re, quam ipse Deus factururus est, et hoc modo vult intelligi nomen præscientiæ, quando apud aliquos auctores invenitur, et agitur de vocatione electorum, scilicet quod ipsa sit prædestinatio. Ergo juxta Augustinum in actu intellectus collocanda est. Et ideo definitionem prædestinationis tradit ipse eodem libro, c. XIV, per actus pertinentes ad cognitionem, dicens, quod: « Est præscientia, et præparatio beneficiorum Dei, etc. » ubi ly præscientia manifeste pertinet ad vim cognoscitivam: ly vero præparatio etiam actum intellectus denotat, quia importat ordinationem, et directionem in finem, qui est actus proprius rationis, et non voluntatis, ut dicit S. Thomas q. VI de verit. a. I ad XIII, disponere est quoddam ordinare; ordinare autem sapientis est, ut ex Philosopho docet D. Thomas q. V de veritate, art. I ad IV, in secundo loco positum: per actum enim appetitus et volitionis formaliter non præparamus, sed desidera-

mus aut volumus præparare vel exequi. Tunc autem præparamus, quando disponimus et ordinamus quomodo aliquid faciendum sit, conferendo unum alteri quod totum ad actum rationis pertinet, et ad cognitionem.

IX. Et licet verum sit quod aliquando etiam in Scriptura explicatur actus voluntatis pertinens ad prædestinationem, ut cum dicitur Rom. IX: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: et Ephes I: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem; prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ, etc.* et sic non videtur ex Scriptura magis colligi quod consistat prædestinatio in actu intellectus, quam voluntatis. Sed tamen respondetur, quod Scriptura non debet istas quæstiones metaphysicas particulatim explicare; sed ex ea colligitur utrumque Dei actum requiri pro prædestinatis, et aliquo explicat unum, aliquando alium, ut cum dicitur Luc. XI: *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, explicatur actus voluntatis; cum dicitur Act. XIII: *Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam*, explicatur actus intellectus qui est ordinare. Sed tamen invenimus nomen præscientiæ adjunctum nomini prædestinationis, ut Rom. VIII: *Quos præscivit et prædestinavit*, positum etiam pro ipsamet prædestinatione, ut Rom. XI citato: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, et hoc juxta intelligentiam Augustini, qui etiam sic intelligi debere auctores, qui hoc tractant, affirmat, invenimus etiam juxta hoc definisse ipsum Augustinum prædestinationem per præscientiam et præparationem qui sunt actus intellectus, non voluntatis, et hanc definitionem acceptasse communiter omnes theologos. Non autem invenimus in Scriptura actum voluntatis poni pro prædestinatione, aut ejus nomini adjungi. Et licet dica-

tur nos prædestinari secundum propositum voluntatis divinæ, non tamen dicitur per ipsum propositum nos prædestinari, sed secundum illud quasi alius actus sit prædestinatio, alius voluntatis secundum quam fit, nec invenimus sic intellectum ab Augustino patribus, et theologis acceptantibus ejus definitionem, quod actum voluntatis intelligant pro prædestinatione, sicut actum intellectus. Magis ergo ponderat auctoritas Scripturæ cum intelligentia patrum pro ista scientia, quam pro opposita.

X. Fundamentum rationis sumitur ex eo quod prudentia est virtus residens in intellectu, et ejus actus ad cognitionem spectat, ut docet Aristoteles VI eth. ubi videri potest D. Thomas, lect. IV, definit enim ibi Aristoteles prudentiam, quod sit: « Habitus cum vera ratione activus. » Et quia prudentia versatur circa consiliabilia, et prudentes sunt bene consiliativi, docet ad intellectum pertinere. Quod etiam communiter apud homines constat, quia prudentes dicuntur, non qui magis appetitivi, sed qui magis pondere rationum ducuntur, et melius ordinant de agendis, sive quantum ad consilium, sive quantum ad iudicium, sive quantum ad imperium, quod fit per intimationem, et ordinationem de aliquo faciendo. Hæc autem omnia actus cognitionis sunt. Providentia autem est ipsissima ratio, et directio prudentiæ in videndo, et intelligendo quæ agenda sunt, quia providentia est quasi procul videntia, et versatur circa futura, considerando, et disponendo quid pro futuris eventibus faciendum et ordinandum est. Sicut ergo prudentia ad vim cognoscitivam pertinet, ita et providentia, quæ se habet ut intelligentia ejus in ordinando, et gubernando quæ agenda sunt.

Cæterum quia dici potest quod prudentia quidem et providentia ad vim cognoscitivam pertinent directive et regulative, sed tamen complete pertinent ad voluntatem, et quia ibi consummatur vis providentiæ, ibi quoque essentialiter debet consistere.

XI. Circa hoc considerandum est, quod præcipue oportet attendere ad objectum alicujus actus, ut videamus ad quam potentiam pertinet formaliter, et ubi consummatur talis actus inter lineam sui objecti, et sui generis, ibi essentialiter ponendus est, non ubi consummatur quantum ad aliquos effectus suos: isti enim possunt jam esse alterius potentia, quia jam supponitur tota essentia, et specificatio actus constituta ante effectus, qui subsequuntur ad rem constitutam. Et ita D. Thomas vii eth. lect. ii et i p. q. lxxxiii, art. iii et 1-2, quæst. xiii, art. i. Deducit electionem pertinere ad voluntatem potius quam ad intellectum ex ejus objecto, quod est bonum seu conveniens, non verum, et in hoc consummatur ejus actio in ipsa optione seu determinatione, non autem in consilio, seu collatione discursus: id enim antecedit optionem, et determinationem voluntatis. Quod vero etiam post electionem sequantur alii effectus in aliis potentiis ad executionem eorum, quæ per electionem acceptata sunt, hoc non pertinet ad ipsam substantiam electionis consummandam, sed ad effectus electionis, in quibus etiam dicitur consummari quantum ad executionem, et eventum, non quantum ad substantiam, id est, quantum ad attingentiam objecti. Et sic illa regula, quod ibi essentialiter consistit aliqua virtus, vel actus ubi consummatur, intelligenda est juxta dicta, non ubi consummatur extrinsece quoad effectus extrinsecos et executionem,

sed intrinsece quoad substantiam et attingentiam objectivam consummatio quoad effectus, est jam extrinseca, quia effectus jam supponit rem cujus est effectus, constitutam, qua ab illa procedit, et sic consummatio per effectus est extrinseca, non intrinseca, et in qua essentialiter consistit. Sic ergo dicere quod providentia utitur voluntate ad executionem, et consummationem ejus quod providet, non ostendit quod in voluntate consistit essentialiter providentia, quia illa consummatio est extrinseca, et quoad effectus, seu executionem providentiæ. Executio autem supponit providentiam in se jam intrinsece et consummate constitutam. Unde oportet videre, si consummatio providentiæ etiam antecederet ad ejus executionem, et sistendo in attingentia objecti sui, detur ante voluntatem, et intra cognitionem. Hoc autem manifestum est inveniri, quia objectum providentiæ et prudentiæ est aliquid ut ordinabile et cognoscibile ut agendum, et ordinate disponendum; et sic sistit in ratione veri, quod pertinet ad intellectum. Et hujus signum manifestum est, quia quantumcumque voluntas sit affecta alicui rei tamquam convenienti, et bonæ, non potest recte providere, et prudentialiter procedere in ejus assecutione, nisi per actus cognitionis, id est, consiliando, et conferendo de mediis, et ordinando seu denuntiando ut fiant: sicut etiam non potest aliquid haberi pro lege, et regula ex eo quod sit efficaciter volita, sed ex eo quod sit ordinata per rationem: habere enim pro regula ipsum velle præcise iniquum est, nisi sit velle divinum quod intrinsece est ipsa sapientia, et ordo rationis: ergo provisio pro objecto habet non aliquid convenientis, ut appetibile, et fruibile aut utile: sic enim induit rationem bo-

ni, et objecti appetitus, sed ut ordinabile et manifestabile, et ut verum secundum veritatem convenientiæ, non secundum appetibilitatem tantum, sed sub respectu, et ordine ad finem, et mediorum inter se. Et in hoc sistit tota vis, et objectum providentiæ, et prudentiæ, quæ est recta ratio agibilium, sicut ars est recta ratio factibilium. Unde sicut ars non est nisi in intellectu, licet executio ejus consummatio quoad effectus externos dependeat ab aliis potentiis, quæ non semper sunt debite dispositæ, quia tota consummatio quoad substantiam, et objectum proprium sistit intra intellectum, quia est recta ratio de effectibus externis, et objectum ejus est res factibilis ut ordinata et ordinate faciendâ, ita prudentia, quæ est recta ratio agibilium seu actionum nostrarum moralium, sistit in intellectu, quia respicit illa ut aliquid ordinabile, et manifestabile, quod totum ad cognoscibilitatem pertinet, licet supponat voluntatem ut efficaciter moventem, et postea iterum ad executionem applicantem potentias, de quo latius 1-2, q. xvi et xvii.

XII. Secunda pars nostræ conclusionis, quod prudentia et providentia non possit consistere in notitia illa simplici aut conditionata mediorum et congruentiæ ejus, prout antecedit omne decretum liberum, latius sequenti articulo declarabitur. Sufficit nunc eam probare ex D. Thoma qui perpetuo constituit providentiam et prædestinationem in actu intellectus supponente liberam volitionem et propositum erga prædestinatos, et erga ipsum finem eis volitum. Nam in hac quæstione xxiii, art. iv expresse docet, quod: « Dilectio et electio Dei qua aliquibus vult finem, præcedit prædestinationem: est enim prædestinatio pars providentiæ, et providentia est ratio præceptiva or-

dinationis aliquorum in finem in intellectu existens. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem nisi præexistente voluntate finis. Unde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem quod Deus illorum velit salutem. » Ita D. Thomas, qui idem docet in i, dist. xli, q. i, art. ii, et qu. vi de verit. art. i ad ii et iii. Ergo in ejus sententia non potest poni prædestinatio et providentia in actu illo notitiæ antecedentis omnem actum liberum voluntatis, et tantum possibilitatem, seu congruentiam mediorum cognoscens, sed præsupponit et dilectionem hominum ad finem, qui utique actus liber est in Deo. Specialiter contra hanc sententiam ponderanda sunt verba S. Thomæ q. vi de verit. citato articulo primo, solutione ad iv, ubi inquit: « Prædestinatio quamvis in genere scientiæ ponatur, tamen aliquid supra scientiam et supra præscientiam addit, scilicet directionem vel ordinationem in finem, sicut etiam prudentia supra cognitionem. Unde sicut non omnis cognoscens quid agendum sit est prudens, ita nec omnis præsciens est prædestinans. » Sed constat quod scientia illa possibilium aut futurorum conditionatorum solum præscit quid agendum sit, non vero ordinat et dirigit in finem: ergo non est illa scientia in qua consistit prædestinatio. Quod si dicatur consistere in illa non absolute, sed adjuncta voluntate, et proposito ejus, a quo fit denominatio providentiæ, contra est, quia voluntas sola non addit directionem et ordinationem in finem, quod pertinet ad rationem, sed inclinationem et appetitum in finem: stat autem bene quod aliquis desideret intense aliqui fieri, et sciat quid agendum sit, non tamen ordinat, nec dirigit in finem, quia nescit imperare, et

sic non est prudens; sicut multi sunt optimi consilii, aut perspicacis iudicii in agendis, et desiderant rem fieri, nec tamen ordinant et dirigunt recte. Non ergo sufficit scientia sola cum voluntate si desit ordinatio et directio conveniens in finem, quam solam dicit D. Thomæ addere prædestinationem supra scientiam cognoscentem quid agendum sit.

Fundamentum autem istius partis præter rejectionem illius scientiæ mediæ, quam præcedenti tomo, disp. xx late rejecimus specialiter sequenti articulo tradendum est.

XIII. Ex dictis tamen adverto, quod licet Deus post volitum et intentum finem, non indigeat novo actu intellectus propter investigationem et notitiam accipiendam de mediis, et de congruentia eorum quam antea non haberet, sicut nos indigemus consilio et investigatione mediorum post intentionem finis, optime advertit D. Thomæ super illud Pauli ad Ephes. I: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, ubi consilium dicit non denotare inquisitionem, sed firmitatem divinæ sententiæ. Et idem habet hic q. xxii, art. I ad I, tamen propter aliam rationem consideratur in Deo etiam post intentum finem cognitio determinate proponens media voluntati, non ut Deus cognoscat media, et investiget illa quæ antea non cognoscat, sed ut moveatur voluntas ad media volenda non propter solam eorum entitatem in se, sed ut moventia ex suppositione finis voliti et conformiter ad ipsum, quia unum objectum volitum non potest movere ad aliud, nisi proponatur per intellectum, tamquam sic volitum, et conformitas ipsa seu conducentia ad ipsum ut volitum. Quod totum non potest fieri per scientiam mere necessariam, sed præsupponentem volitionem finis, ut ex intentione ejus et

conformiter ad ipsum ut intentum ordinet determinate de mediis.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIV. Primo, arguitur ex quibusdam auctoritatibus D. Thomæ ad probandum quod providentia et prædestinatio debeant consistere in actu voluntatis, quem superaddunt ad præscientiam communem et necessariam. Nam in I dist. xli, q. I, articulo secundo ad primum dicit, quod: « Electio non est actus voluntatis absolute, sed in ordine ad intellectum ordinantem. Prædestinatio autem dicit actum voluntatis absolute, qui consequitur ordinem istum. » Ergo sentit D. Thomæ consistere prædestinationem in actu voluntatis, licet præsupponat ordinem intellectus, non vero in ordine seu ordinatione intellectus præsupponente actum voluntatis. Et ibidem dist. xl, q. I, art. II dixerat quod: « Providentia quæ est ars gubernationis rerum, potest salvari in speculatione tantum, sed prædestinatio importat providentiam secundum quod est ordinata ad executionem operis per voluntatem. » Ergo ultra id quod providentiæ est pertinens ad speculationem non importat prædestinatio nisi actum voluntatis: ergo secundum propriam rationem prædestinationis ad voluntatem spectat. Addere etiam possumus eundem D. Thomæ in hac prima parte, q. xxiv, art. I, ad IV ubi inquit, quod (liber vitæ differt ratione a prædestinatione, quia importat notitiam prædestinationis: » ergo si in hoc differt, utique prædestinatio ipsa non consistit in notitia, seu actu intellectus.

Respondetur in priori loco D. Thomæ non dicere quod prædestinatio essentialiter, et formaliter consistit in illo actu absoluto volun-

tatis, sed quod dicit illum, id est, illum requirit, et importat. Et est sensus D. Thomæ, quod cum dentur duo actus voluntatis cum ordine unius præ alio, alter qui post istum ordinem absolute tendit ad executionem, vult D. Thomæ quod prædestinatio præter electionem ordinativam unius præ alio in finem requirit voluntatem absolutam præparandi ea quæ absolute, et de facto ducant ad finem, non tamen ibi docet quod in eo actu essentialiter et formaliter consistat, sed in intellectu præsupponente quidem electionem ad finem, et dirigente et ordinante præparationem illam absolutam ad executionem, seu assecutionem finis, quod in aliis locis supra citatis expressit. Et hæc solutio sumitur ex verbis ipsius D. Thomæ in eodem loco qui in argumento adducitur: concludit enim solutionem illam dicens, quod electio divina est secundum quam aliqui ordinantur ad finem beatitudinis; prædestinatio autem secundum quam præparantur eis ea quæ perducunt in finem: et ideo sicut voluntas ordinans in finem præcedit actum voluntatis præparantis ea quæ ducunt ad finem, ita electio prædestinationem præcedit.

XV. Ad secundum locum respondetur, quod licet providentia, sine voluntate adjuncta solum videatur pertinere ad speculationem, prædestinatio autem addat providentiam ut ordinatam per voluntatem, tamen in ly ordinata, importatur id quod pertinet ad essentialem rationem ejus, quæ ex parte intellectus se tenet, in ly autem per voluntatem importatur id quod pertinet ad efficaciam talis ordinationis, quod est aliquid antecedenter et motive se habens ad illam, ut ex aliis locis expressis S. Thomæ habetur; hic enim non expressit in quo actu formaliter consistat, licet dixerit

utrumque actum requiri, intellectus et voluntatis; et ideo ibi concludit quod prædestinatio dicit intentionem divinam cum præscientia ejus quod salvabitur. Ubi ly cum præscientia intelligitur de præscientia ordinativa et præparativa ejus quod faciendum est.

XVI. Ad tertium locum dicitur, quod liber vitæ importat notitiam per modum memoriæ firmiter retinentis id quod decretum est, ut ibidem docet S. Thomas, ad hoc enim servit apud nos liber, ut succurrat memoriæ et designet aliquos ad aliquod ministerium. Prædestinatio autem importat ipsam notitiam practicam ut præparativam et directivam eorum quæ facienda sunt in finem. Et sic sub nomine notitiæ adhuc habet distingui ratione liber vitæ a prædestinatione.

XVII. Secundo arguitur, quia prædestinatio essentialiter importat transmissionem efficacem creaturæ rationalis in beatitudinem, ut constat ex ejus definitione, et ita ad specialem ejus rationem pertinet quod infallibiliter consequatur finem, et consequenter quod sit efficax. Efficacia autem pertinet ad voluntatem, et non potest inveniri in cognitione et in modo motionis ejus: ergo prædestinatio non potest esse actus intellectus, sed voluntatis. Minor probatur, quia modus proprius et essentialis movendi ex parte intellectus est motio per allicientiam et propositionem objecti, quæ est motio quoad specificationem, quia videlicet proponit bonitatem seu convenientiam, aut disconvenientiam objecti, ut attrahat voluntatem ad velle, vel nolle. Non autem est motio quoad exercitium, quæ est motio quoad efficaciam et assecutionem rei: hæc enim repugnat inveniri in cognitione seu actu intellectus, nec ex propriis, quia sic solum movet proponendo objectum, et quoad spe-